

delius. Unde Paulus Jctus tria supplicii summi genera recensens hoc præfert cremationi, & decollationi. Mortis genus exprimit, ut tantò illustriori argumento humiliationem Christi comprobet. Etsi enim magna est obedientia, sine propriâ noxâ subire mortem, eorum bono, qui Patris, & ipsius hostes erant facti. Major tamen subire acerbissimam mortem, ignominiosissimamque. Unde Apostolus scribit, pertulisse crucem ignominia contempta, Hebr. 12, 2. Propterea & Judæi, annotante Chrysostomo, studio ista morte eum interimere satagerunt, ut probrosum quoque efficerent, ut etsi nemo propterea ab ipso abstineret, quòd occisus esset, abstineret tamen vel ideo, quòd hoc pacto occisus esset. Nihil etiam cruce erat ignominiosus inter homines; præsertim Romanos, & Judæos. Ea de causa apud illos erat fervor ferè supplicium, quod servus apud Plautum in milite fatetur; *noli minitari, scio crucem futuram mihi sepulchrum, ibi majores mei siti sunt, Pater, avus, proavus, abavus.* Adeò, ut nomine servilis supplicii crux veniat capienda apud Tacitum lib. 4. hist. Et Vulcatium in Avidio Cassio. Etiam liberi quidam in crucem dati, sed viliores, aut nocentiores. Crimina enim in eis erant cruciaria, latrocinium, sicariatus, & crimen falsi. Vide Justum Lipsium lib. 1. de cruce. Christus innoxius ille agnus damnatus quasi seditionis nomine, & regni affectati. Ejus enim erat postulatus Luc. 23. Quòd pertinet titulus crucis. Apud Judæos noxa quidem ad crucem nusquam disertius expressa, ignominia tamen testatissima. Et si hoc parum sit, erat à Deo maledicta mors crucis. Sic enim legimus Deut. 21, 23. *Suspensus execrationi est Deo:* quod Apostolus citat, cum Christum pro nobis factum esse execrationem docet Gal. 3, 13. Jam quidem omnia, quæ in crucifixione Christi acciderunt, perspicuè testantur obedientiæ perfectionem; non crucifigitur, nisi flagellis antè purpuratus; fractus verberibus, crucem effert humeris, non absque vexatione multiplici deducitur; agitur in crucem, inter latrones medius, clavis affigitur, deluditur: O admirandam obedientiam! Ea tamen elucet in eo omnium maximè, quòd Dei maledictionem ultrò subiit pro nobis, ut nos consequeremur benedictionem Abrahami. Horribiles fuerunt cruciatus, quos in cruce sustinuit inflicto ab hostibus: multò autem gravius cruciavit ira Dei adversus nostra, & totius mundi peccata super eum effusa in cruce, quippe quæ hanc illi vocem expressit, *Deus mi, Deus mi, cur me dereliquisti?* Quis hanc obedientiam verbis satis exprimat? Quis comprehendat animo? Si angelica lingua nobis data, & omnis Angelorum sapientia concessa esset, non tamen vel fando exprimeremus, vel intelligendo assequeremur ineffabilem obedientiæ magnitudinem; quæ tantò est admirabilior, quòd non nudus homo, sed Dei filius, verus Deus, Patri æqualis eam in carne nostrâ præstitit, nullo suo, sed nostro bono. Nos enim digni eramus omni illa pœna, quam cum sustinere non possemus, ille loco nostro subiit, & crucem voluit, ut chirographum, quod contra nos erat, cruci affixum è medio tolleret, Coloss. 2, 14. Peccata nostra in corpore suo ferret super lignum, 1. Pet. 2, 24. Ut nos ad Deum adduceret, 1. Pet. 3, 18. Quod non poterat facere, nisi volens adiret crucem. Nec enim Deus salva sua justitia admittere satisfactionem ab innocente invito pro alio præstitam, nec per misericordiam imponere, nec illi ab invito, quamvis innocente, præstita placere poterat, sicut nullum sacrificium illi placet oblatum ab invito,

& repugnante. Scilicet hic ostendit Apostolus Philippensibus affectum Christi in cruce pendentis. Ibi intueantur amorem ardentissimum, ibi obedientiam perfectissimam, ibi submissionem maximam, ac discant modestiam veram, alios se præstantiores existimantes absque contentione, & inani gloria gerentes omnia, non quærentes sua, sed quæ sunt aliorum. Si enim suam quævisset Christus gloriam, si suum commodum, an ad extremam illam miseriam se demisisset sponte sua?

v. 9. *Quapropter*) Deinceps Christi exaltationem describit Apostolus, idque, monente Bullingero, duplici de causa. Primò, ut vel spe securæ gloriæ accensi animum ad modestiam promptè, sincereque conferant. Christus ipse regulam dederat, & suis inculcaverat sapiens, qui se depressit, extolletur, Matth. 13, 12. Luc. 14, 11, 18, 14. Nempe tempore suo, 1. Pet. 5, 6. Regulam divinam divino communis magistri exemplo illustrat Apostolus. Etsi enim magnum inter illum & nos est discrimen, id tamen non obstat, quòd minùs accendamus modestiæ studio, postquam Christus ab extrema ignominia in summam evectus est altitudinem. Ille solus ante humiliationem fuit in æterna gloria, nos non fuimus, ille solus nostro bono ad tantam miseriam se demisit, ille solus absolutissimam obedientiam præstitit citra ullam labem; ille gradum gloriæ consecutus est, qui in nos minimè competit. Non tamen ideo nulla iis spes gloriæ, in quibus est idem affectus, qui fuit in Christo. Non enim frustra proponit Apostolus, cui altera proponendi causa fuit, ne quis offenderetur scandalo crucis. Cæterum Lombardus l. 3. f. d. 18. & quicum secuti sunt Scholastici, ex particula, *Quapropter*, occasionem arripuerunt docendi, Christum ita nobis redemptionem meruisse, ut sibi meruerit impassibilitatis & immortalitatis gloriam, pro qua Bellarminus ponit omnia, quæ post resurrectionem consecutus est. Id quod Zanchio quoque placet. Matthias Martinius in summa fidei, disp. 22. Christum non *κατὰ τὸ ποῦν*, sed *κατὰ τὸ πῶς*, i. e. non secundum quale, sed secundum quantum, seu non ratione qualitatis, sed ratione gradus sibi aliquid meruisse, i. e. non salutem, quippe quæ cum sanctificatione naturæ ipsi à Patre in conceptione donata fuerit, sed in salute alteriorem gradum.

Calvinus lib. 2. instit. cap. 2. §. 6. & in comm. h. l. quæstionem illam Sorbonistarum stultæ curiositatis, & definitionem temeritatis accusat. Rationes illi hæ sunt. 1. Quod non opus fuerit, descendere unicum filium Dei, & sibi acquirere quicquam novi. 2. Quòd Pater non filii utilitati consuluisse dicatur in ejus meritis, sed eum tradidisse in mortem, neque ei pepercisse, quia mundū diligeret, Rom. 8, 32. 3. Quia Prophetæ fructum adventus Christi in carnem ad nos totum referant suis formulis, *Puer nobis natus est: Exulta filia Zion: Ecce Rex tuus venit tibi, Iesa. 9, 6. Zachar. 9, 9.* 4. Quia alioqui frigeret amoris illa confirmatio, quam nobis commendat Apostolus, quòd Christus pro inimicis mortem subierit, Rom. 5, 10. 5. Quia Christus ipse fructum sanctificationis suæ in nos transferat, Johan. 17, 19. Et sanè, si scripturam totam excutias, tota clamat, Christum se totum nobis impendisse, sui quasi oblitum, traditum propter nostras offensas, & excitatum propter justificationem nostri, Rom. 4, 25. nobis factum à Deo sapientiæ, sanctificationis, justitiæ, & redemptionis, 1. Cor. 1, 30.

Bellarminus l. 5. de Christo mediæ. c. 10. Calvinii rationes solvere conatur, & videri posset primâ solvisse, sed

deliquas
um Apoll
hæc aut
tame sed
nem. S
aut resp
um Chri
tumque el
Dan
Qui vult
Cæterum
tionibus
ne omis
ur etiam
dere, mo
isto Jesu
Theol
non esse d
striana
in q
si er
veretur q
curiositas
& si sent
edestè tim
iniendi te
tant, ut di
quoque
phemiæ.
edestè sent
um sit, q
explicatio
angelici te
um Scrip
Dan.
quisito
contrariâ
um Apoll
minat l. l. p
aliter sent
um olim
retoriam,
Christus ipse
um, & intrar
tra captar
et, & ita in
et, mox ca
Gram
particul
meritori
contin
Act. 20, 2
16. 1. The
Ideo in
quæst. Nec
illa caul
meritori
post vocer
um factat, f
Chrysostom
factum, C
um in h.
um, 3. thesa
l. 2. con
Chrysostom
tio. Ocurr
meriti,
dat, certè
Tom. 4.